DISSERTATIO MEDICA
DE
EPILEPSIA VERMINOSA,

QUAM

Annuente Archiatro Cœlesti,

Sub PRÆSIDIO

VIRI

Magnifici, Nobilissimi, Excellentissimi atque Experientissimi

DN. JOHANNIS VALENTINI SCHEIDII,

Med. Doctoris ac Praxeos Professoris longè Celeberrimi, Facultatis suæ Senioris & Archiatri Dignissimi, Capit. Thomani Decani, atque h. t. Universitatis Rectoris undiquaque Meritissimi,

Patroni ac Præceptoris sui singulariter observandi,

Publicæ Eruditorum Disquisitioni exhibet,

JOHANNES MARTINUS AULBER,

Cunzelsaviâ-Francus, AUCTOR.

Ad Diem 18. *Julij ANNO M DCC VIII.*

loco & horis solitis.

ARGENTORATI,

LITERIS JOHANNIS PASTORII.

VIRIS

Magnificis, Excellentißimis, Consultißimis,
Prudentissimis, atque Experientissimo,

DN. JOHANNI BVOBIO, Reipublicæ Colmariensis h. t. Proto-Consuli Gravissimo.

DN. BENEDICTO SCHNEIDERO, in eadem Republica Consuli Splendididissimo.

DN. GEORGIO BENJAMINO GLOXIN, Med. Doctori, Physico ibidem Ordinario Celeberrimo, & Illustr. Germanor. Acad. Nat. Cur. Adjuncto.

DNN. Patronis ac Fautoribus
Maximè colendis:

NEC NON

VIRIS Nobilitate, Muneribus, Eruditione, Experientiâ atque Prudentiâ Clarissimis,

DN. JOHANNI JACOBO AVLBERO, Pastori Oberbronnæ Vigilantissimo, ut & Inspectori reliquarum Parochiarum meritissimo, Patruo Maximè Colendo.

DN. JOHANNI AVLBERO, Med. D^do^. ac Practico Marco-Eynersheimij Felicissimo, Parenti Optimo.

DN. FRANCISCO CASIMIRO AVLBERO, Illustriss. S. R. I. Liberæ Comitissæ à Leiningen &c. Quæstori & Archivario Oberbronnæ optimè merito, Fratri Dilectissimo,

Qualemcunque hanc Dissertationem Medicam, in ulterius Favoris & Commendationis excitamentum, debitæque gratitudinis monumentum,

eâ, qua par est, animi observantiâ
dedicat & consecrat

JOHANNES MARTINVS AVLBER,
Cunzelsaviâ-Francus, Med. C.



Q. D. B. V.

§. I.



Nter diverſos, imò innumeros ferè morborum inſultus, quibus ruinoſum animæ domicilium affligitur, nullus, prout mihi videtur, commiſeratione dignior cenſendus eſt, quàm EPILEPSIA; Ideoque illa non immeritò ab Hippocrate, Medicorum Principe ad morbos magnos relata, à Paracelſo autem Cardinalium catalogo inſerta eſt. Sive enim morbi naturam, ſive curationem ſpectemus, magnus reverâ eſt, atque omnino rei, i. e. machinæ humanæ cardo inibi verſatur. Quantus enim quæſo labor requiritur in cauſis eruendis & ſymptomatibus explicandis? Quæ non tædia Medicus ſuſtinet in ea tollenda? Fruſtraneus ſæpius in utroque negotio eſt labor, ita, ut non pauci ingenuè fateantur ſuam ignorantiam in natura, admirandi hujus affectus explicanda, alij verò in ejus curatione confuſi recedant, Ovidiani dicti veritatem invenientes, interdum doctâ plus valet arte malum: Sed licet difficillimus & admirationis plenus hic affectus ſit, non defuerunt tamen omni tempore, qui anxiè in ejus naturam atque curationem inquiſiverunt; Vnde variæ cauſæ, variæque medendi methodi inventæ fuere. Vt enim non dicam de Veterum ſententia, qui vaporem quendam malignum cauſati ſunt; alij fermenti in ventriculo diſpoſitionem vitioſam, & acidam, aſſumpta alimenta facilè corrumpentem alle-

garunt; alij ſanguinis, crudis chyloſis portionibus multùm referti, ad fermentationem inordinatam proni malam conſtitutionem; Imò & Lues venerea gravior, ſcabies retropulſa, læſiones cranij, menſes ſuppreſſi, it: ira, terror atque dulcia, prout nimirum alij magis, alij minùs ad hunc morbum diſpoſiti ſunt, obſervatæ fuerunt mirandæ hujus affectus cauſæ; In infantibus verò adhuc ſpeciatim meconium, à partu non ſufficienter expurgatum, lactis in ventriculo corruptela, & inde natus vitioſus acor, dentitio difficilis, excreta retenta, aut cohibita, modò alia, accuſata fuerunt: Inter omnes autem cauſas frequentiſſima, maximeque conſpicua videtur illa, quæ vermibus originem tribuit, cui ſententiæ præter alios, maximè etiam Baglivum, proximè accedit *D. Andry Pariſienſis, in ſuo Tract. de Gen. Lumbr. hum. Gallicè conſcripto, Art. 2. p.m.* 81. ita, ut ipſius verbis utar: *Pour ce, qui eſt de l'Epilepſie, la pluspart des enfans, qui en ſont affligez, ne le ſont, que par les vers*; Id quod adhuc pluribus exemplis demonſtrari poſſet, niſi experientia quotidiana loqueretur. Quoniam autem lumbrici, aſſentientibus Ettmüllero, Baglivo, Andry, aliiſque, præ cæteris cauſis non in infantibus, pueriſque tantùm, ſed & in adultis familiariſſimi Epilepſiarum autores ſunt, itaque operæ pretium eſſe duxi, pauca quædam, partim ex Autoribus collecta, partim à me ipſo inter ſtudia obſervata, loco Exercitij Academici in chartam conjicere.

§. II.

Occurrunt verò in hac Epilepſiæ ſpecie non ſolùm ſymptomata ordinaria, qualia ſunt: Subitaneus lapſus, motus convulſivi, durante paroxyſmo, ſine intermiſſione perſiſtentes, omnis ſenſus abolitio, ita, ut hoc affectu correptus non audiat, nec videat, doleat, nec recordetur, oculis modò clauſis, modò inverſis, aut contortis, ſpumâ ante os apparente, ac pollice in volam retracto, &c. Sed etiam alia ſigna diſtinctiva, quæ optimè recenſet *Bellinus in Opuſc. Pract. p.* 565. nimirum, Anhelitus, fœtor acidus, fæces cineritiæ, ſtridor dentium, membrorum tremor, terror, & clamor ſubitus in ſomno, narium pruritus, & frictio, ſalivæ nocturno præſertim tempore ex ore effluxus, facies pallida, ſubitò incaleſcens ac rubens, morſus ac

dolor

dolor ſtomachi & inteſtinorum, unde frequens abdominis contrectatio, ejusdem inſolita durities, rugitus ac tormina ventris, membrorum atrophia, tuſſis ſicca, ſingultus, vermium cum excrementis egeſtio, quod quidem ſignorum eſt præcipuum.

§. III.

Duplici autem modo Epilepſiam producunt Vermes, partim quando effluvia atque miaſmata verminoſa, tum viventibus adhuc vermibus, tum iisdem mortuis & putrilagine confectis, cum chylo maſſam ſanguineam ingredientia eam maximè inquinant, atque pervertunt, unde facillimè ob acredinem, præſertim in tenellis propter fibrarum immaturitatem, ſive connaturalem laxitatem ac mollitiem, motus ſpaſmodici excitari poſſunt; Nam obſervamus, puerulos quaſi ſemiparalyticos, & ad motum ineptos eſſe; exinde haud incongruè ſuſpicandum, à nimia fibrarum flacciditate eò facilius etiam oriri poſſe convulſiones, quæ inoffenſo vitæ, & victus genere, fibris in pubertate durefactis, ſponte ferè ſanantur, uti egregiè hac de re diſſerit *jam allegat. Experientiſſ. Bagliv. Spec. lib. 1. de Fib. Motr. cap.* 12.

§. IV.

Partim verò, & quidem inprimis Epilepſiam Vermes producunt, quando inteſtina ab illis morſu irritativo roduntur; exinde enim ejusmodi motus convulſivi, imò confuſi, ſeu inordinati ex Phyſiologia ſenſibus perſpicuè concipi poſſunt, etiamſi *Doct. Phil. Marco Marci* in illorum cauſis modoque agendi haud parùm obſcuritatis atque difficultatis obortum fuerit, uti videre eſt *Miſcell. Nat. Cur. Dec.* 2. *A.* 1. *Obſ.* 120. *p.* 306. ubi tres caſus horrendos, unum in Muliere, alterum in Puella, & tertium in Viro quodam, motibus convulſivis ſummoperè ſtipatos, ipſique Diabolo licet injuriâ imputatos, à lumbricis verò oriundos ad Magnum Wedelium tranſcripſit, & ab ipſo aliquam hujus rei dilucidationem vel explicationem deſideravit: Nam quivis non ignorat, niſi hoſpes in Anatomia ſit, nervis inteſtina ferè innumeris pro motu & ſenſu eſſe referta, tertia enim tunica, vulgò intima, omnium horum in ſe continet extremitates, hinc à Williſio optimè appellatur nervoſa. Dum autem illorum originem inquiro, video quoque, eam partim eſſe à nervis ventriculi, ſecundùm hujus ac inteſtinorum

longitudinem continuatis, potiſſimum tamen à plexu magno meſenterij, qui circa ejus centrum, ut Sol inter Planetas, emicans ſuos radios i.e. fibras atque propagines ſuas ad inteſtina quaquaverſum diſpergit, uti eleganter loquitur *Clar. Williſius in Anat. Cerebr. p.* 149. Etenim hi nervi, cum vaſis meſaraicis variè hinc inde circumligati, velut comites ad inteſtina uſque unà exſpatiantur; Et cùm hic plexus meſentericus magnus maximè conſtructus ſit ex diverſorum aliorum plexuum ſurculis concurrentibus, omnes autem plexus abdominis nervoſi, quorum numero ſeptem, quinto, ſexto & octavo nervorum cerebri pari ortum ſuum debeant, hinc non mirandum, aut longè percontandum, unde & quomodo tales motus convulſivi contingere poſſint.

§. V.

Diu jam excuſſum & probè notum eſt, omnis ſenſus ac motus regularis cauſam conſiſtere in nervis, quatenus ordinario placidoque ſpirituum animalium influxu gaudent, ſpiritus autem animales, mediantibus nervis, omnibus corporis partibus diſtribui, ſanâ mente nemo inficiabitur: Hinc fit, ut nervi ab acido volatili peregrino, aut à lympha, aut bile acri, aut alio quovis humore corrupto, particulis corroſivis lancinantibus, ſpiritibus animalibus ſeſe agglomerantibus, vellicentur, atque ad motum inordinatum adigantur. Proinde, tum à vermibus vivis pungendo, corrodendo, lancinandoque irritantur, tum à mortuis, miaſmata iſta velut peſtifera exſpirantibus, afficiuntur: Ita, ut ſic præcipuum motus regularis inſtrumentum lædatur. Ideoque non poteſt non fieri, quin ſpiritus animales in motu ſuo ordinato perturbentur, in partes alias magis, in alias minus à cerebro explodantur, atque ita motus planè irregularis & confuſus evadat.

§. VI.

Nunc hujus materiæ tractatio requireret, ut quoque indigitaretur, quanam ratione talia in inteſtinis poſſint generari inſecta. Cùm autem mihi impræſentiarum de illa, licet ampla atque vaſta, utili tamen elegantique materia diſſerere, nec animus ſit, nec inſtituti ratio permittat, idque inſuper à Viris noſtrâ ætate Excellentiſſimis ex profeſſo actum ſit, inter quos meritò præ aliis laudem meruerunt *Franc. Redi Tract. de Generat. Inſector.*

Insector. & *Harderus Epist. de Insect. generat. ex ovo*; Ut & *suprà citat. Cl. Andry*, aliique; Eapropter, ut ſcopo meo ſatis tamen fiat, leviter ſaltim hîc attingere volui, lumbricorum in inteſtinis generatorum geminam cauſam eſſe, unam materialem, alteram efficientem: Prior ſunt ovula muſcarum, quibus alimenta & potulenta aſſumpta ſunt conſpurcata, qualia præcipuè ſunt, Lacticinia, Saccharata, Mellita, aliaque, aëri diutius expoſita; Poſterior eſt calor blandior, proportionatus, ſive putredinalis in primis viis, quo mediante eò citius tunc excluduntur; ſic rectè poſt Peripateticos dixit Helmontius, quamvis alio ſenſu, quod ubi putredo, ibi lumbricorum ſit patria. Ex quibus ſatis liquet, ſicut & Medici Phyſicique ad unum omnes nunc certi ſunt, generationem æquivocam, prout eam Schola Ariſtotelis docuit, meram eſſe chimæram. Interim non eſt, ut allegentur tantùm ſeminia, in aëre volitantia, à nobis quotidie inſpirata, quæ à nonnullis in ſcenam producuntur; Sufficit in eſcam, infantibus offerri ſolitam, muſcas omnis generis ſeminia deponere. Hinc peſſimè faciunt mulierculæ, quæ anili ſuperſtitione pulmentum adhuc calens operiri vetant, neſcio quid inde metuentes, ſeu ominantes, vel qua religione ductæ. Quo fit, ut agmina muſcarum, pulmento inſidentia, ſuaq; ovula inibi emittentia obſervemus: Accedit & hoc, quòd inter lactandum atque nutriendum, æque ac inter dormiendum, muſcæ, gregatim convolitando, ipſiusque infantis ori inſidendo, ovula quoque deponere queant, quæ inopinanter hoc modo degluttiuntur. Ita, ut ea demonſtratio inviſibilis non uſque adeò religioſé expetenda ſit; utut eâ non planè negatâ.

§. VII.

Ex hactenus dictis ſatis, ut puto, patebit, qualis hoc in affectu Prognoſis formari poſſit. Equidem, omnem Epilepſiam eſſe periculoſam, audacter enunciare, non vereor; Interea tamen pro ſubjecti ratione atq; cauſarum diverſitate duplex poteſt prædici eventus. Hæcce igitur Epilepſia, à vermibus producta, haud adeò periculoſa, aut curatu difficilis videtur, quia 1. non hæreditaria vel congenita, ſed adventitia; 2. quia non eſſentialis ſeu idiopathetica, ſed per conſenſum vel ſympathetica eſt. Verùm, hîc rurſus diſtinguendum eſt, quamvis enim adventitia

ventitia ſit, præſupponitur tamen, niſi nimis altas egerit radices, aut vermes mortui, ac putrefacti citò eliminentur; Si namq; vermes diutius in inteſtinis morentur, balſamicam chyli partem abſorbendo, putredini fores pandunt, matri ſexcentorum malorum, *annotante Waldſchmidio in Diſſ. de Ventric. & Inteſtin. Morbis*, deinde non rarò funeſta ludunt dramata, dum ipſum ventriculum, atque inteſtina, quæ tam grata ipſis exhibent hoſpitia, corrodunt ac perforant, qualia exempla nullibi non in Autoribus, & quidem præſertim *in Sepulchreto Boneti* reperiuntur; Sicut & mihimetipſi aliquando conſpicere licuit in tenuioris ſortis puero 12. circiter annorum, qui ſub quinquemeſtri Venerandi Parentis mei cura talia unà cum lumbricis per umbilicum excrevit, qualia ferè per os aſſumſit, præprimis verò leguminoſa, uſque dum fatis exceſſit. Quod poſteà ſubjecta attinet, in illis quoad ætatem in prognoſi formanda non minor ratio habenda eſt, ſic *Excell. D. Mich. in reſol. caſ. de Epil. Puer.* dicit: *Ex Epilepſia pueri difficilè evadunt, ſi ſint admodùm parvi, cùm per violentas illas concuſſiones partes corporis adhuc teneri divelli poſſunt, præcipuè autem cerebri vix dum conſiſtentis, quod proinde vel divellitur à ſuis partibus, vel diſſolvitur quaſi in ſphacelum, & facilè morietur puer.* Quod idem ſentit jam citat. *Ettmüllerus de Epilepſia Infant.* ita ſcribens: *Funeſtum malum eſt infantibus, licet familiare, ex quo ſæpius periclitantur, mortemque obeunt, præſertim, ſi in tenuiore conſtitutione crebrius malùm repetat.* Funeſtiorem autem adhuc prognoſin *Baglivus* ſtatuit, dum ſine exceptione in *Praxi Med. p. 60.* per aphoriſmum quaſi ponit: *Si vel minima ſuſpicio vermium eſt, noli tardare in exhibendis remediis, nam ſæpiſſime ſubitò enecant non ſolùm Pueros aut Infantes, ſed etiam Adultos.* Attamen in Adultis non adeò periculoſa eſt, dum̃odò in tempore ſuccurratur, expulſis enim vermibus, ſive vivis, ſive mortuis, ut plurimùm expellitur & ipſa Epilepſia.

§. IIX.

Reſtat adhuc, ut ipſius mali extirpationem adoriar; Et quia monente *Waldſchmidio p. m. 373. horrenda à vermibus excitari poſſunt ſymptomata, ut non rarò ex incantatione produci videantur*, hinc eò magis maturanda erit curatio, quæ duplex

eſt:

est; Alia in paroxysmo, alia extra paroxysmum. In paroxysmo hîc non multùm moliendum, nisi ad efferos inordinato motu spiritus quodam̃odò figendum, vel reprimendum, graveolentia offerantur naribus, v. g. Spir. vol. Corn. Cerv. Salis armon. Fulig. Urinæ, etiam vulgatissima Aq. R. H. it: Castoreum, Ruta, Asa fœtida, Galban. &c. ex quibus quoque parentur noduli, aceto bezoartico irrorandi, ac naribus admovendi; Tum regio verticis, tempora & nucha balsamis oleisque cephalicis illinantur, ut sunt: Succini, Rutæ, Rorismarini, Lavendulæ, Spicæ, &c. deinde membrorum exterorum pedetentim in rectum fiat extensio, & clausum ægri os aperiatur, aperto autem cochlear ligneum, vel baculus liquiritiæ actutum intrudatur, ut sic & linguæ prospiciatur, & spuma effluere queat; tum etiam, ut medicamenta eò commodius ingeri possint.

§. IX.

Curatio extra paroxysmum suis innititur indicationibus; Ideoque 1. Vermes sunt enecandi; 2. enecati evacuandi; 3. putredini in primis viis quovis modo resistendum, & 4. nobili parti læsæ corroborantibus prospiciendum. Hauriuntur verò remedia ex consuetis tribus fontibus: pharmaceutico, diætetico & chirurgico. Ex primo fonte quoad 1. & 2. indicationem utrique satisfaciunt Purgantia mitiora, & cautè adhibita, quippe quæ simul sunt Anthelmintica, uti inprimis est Rhabarbarum, vel hoc nomine commendandum: videmus enim toto die, unico nonnunquam adhibito purgante, malum radicitus tolli; sic *Willis. de Morb. Convulſ. p. 40. puero convulsionibus miserrimè affecto, ut jamjam moribundus videretur, dosin mercurij dulc. cum resina jalappæ exhibuit, qui cum 4. alvi dejectionibus lumbricos 12. excrevit, & derepentè convaluit.* Similiter & Emetica tutiora, uti præ cæteris est radix Ipecacuanha, simul exhiberi queunt, ubi nimirum opus videtur, neque id ætatis tenerrimæ, & virium aliqualis imbecillitatis ratio, aut aliud quid prohibeat. Sic ipsemet Colmariæ lene vomitorium exhibui filiolæ unius & dimidij anni, epilepticis insultibus 6. dierum spatio per intervalla agitatæ, ubi antepilepticis planè nil proficientibus, tandem ex pruritu narium, aliisque signis concurrentibus, de vermibus in ventriculo suspica-

bar, verum etiam comperi, quod fore judicabam; epoto namque emetico brevi pòst cum ſuffocationis periculo lumbricos 2. in pilam conglobatos ſpithamæque longitudinem excedentes vomitu vivos rejecit, deinceps adhuc unum, ſed mortuum, quibus excluſis non ſine parentum ſtupore ſtatim convaluit. Sic puero textoris 11. annos nato, abſque ulla manifeſta cauſa ſubitò in terram proſtrato, duabus poſt paroxyſmum horis, erat enim adhuc jejunus, propinavi in juſculo Tartari emet. gr. iß. cum ſpecif. jalapp. & aliquot granis Cinnab. antimonij, tunc ἄνω καὶ κάτω multos excrevit lumbricos, paroxyſmo nunquam rediente, adhuc dum in vivis. Ante omnia huc ſpectant Mercur. dulc. ritè paratus, in juſta tamen doſi, & Æthiops mineral. Harris, admixtis vel interpoſitis purgantibus lenioribus; inprimis autem Cinnabarina, quæ in hoc paſſu utramque paginam abſolvunt. Hinc *Simon Pauli quadripart. Botat. p.* 107. Cinnabarim antimonij ſolùm in Epilepſia à vermibus concedit: Faciunt huc etiam Balſamica ac Sale volatili prædita; ſic inter alia ſpecificum obſervatum fuit ſola Aqua deſt. Raph. ruſticani, ut patet ex Hiſtoria miranda à *Chriſt. Frommanno communicata Ephem. Nat. Cur. Dec.* 1. *A.* 6. & 7. *p.* 248. Deinde etiam hîc maximè locum habent Clyſteres, ſed ex dulcibus, ac ſine oleo & ſale parati; nam quæ per os adhibentur, debent eſſe amara, quæ verò per anum, dulcia. Commendantur & Topica, in ſpecie, ubi medicamenta interna reſpuuntur; Sic novi filiolam 3. annos natam, integri menſis ſpatio tum febri ardente erraticâ, tum motibus convulſivis mirè vexatam, penituſque emaciatam, huic tandem, cùm ulla ampliùs medicamenta planè non admitteret internè, vermes tamen adeſſe excrementa ſatis indicarent, toti abdominis regioni applicari curavi Ceratum carminativum cum pulv: aloës, colocynth. myrrhæ, extractis & oleis deſtill. tanaceti & abſinthij permixtum, quæ tunc ſolo hoc remedio per aliquot dies ad 30. vermes per alvum excrevit, nunc optimâ valetudine fruens. Reliquæ indicationes facilè explentur abſorbentibus ac blandis aromaticis, quæ putredini reſiſtendo bonam chylificationem iterum promovent, atque hoc modo laudabilem ſanguinem procreant, vegetoſque ſpiritus gignunt.

§. X

§. X.

De cætero ad Curationem non minimum affert momentum legitima DIÆTA, quæ in 6. rerum non naturalium recta administratione consistit; Proinde eligatur AER temperatus, serenus ac purus, qui spiritus animales iterum reficiat & nitidiores reddat, si verò naturâ talis haberi nequit, suffumigiis, & sic arte corrigatur; E contrariò fugiatur, quantum possibile, Aër nebulosus, impurus ac pluviosus, variis miasmatibus inquinatus, qui non spiritibus tantùm animalibus valdè infestus, sed etiam corpori nova seminia inferre, aptus est. Victus ratio sit moderata, CIBI sint laudabilis succi, moderatè calidi & sicci, facilioris concoctionis, ventriculo grati, ac nullis humoribus excrementitiis referti; Evitentur autem cibi crudi, crassi, flatulenti, nimis humidi, coctu difficiles, & facilè putrescentes, quorum notiores sunt, omnes fructus horæi, legumina, lacticinia, fumo indurata, ac omnia olerum genera; quorsum & spectant omnia dulcia. In POTV concedendum est vinum generosum temperatum, & si cuidam placet, vinum absinthiacum, salviatum, enulatum, anthosatum, vel juniperinum, semper tamen cum cautione adhibitum; vel cerevisia, bene cocta, & defæcata, ac mediocriter lupulata; Conveniunt etiam quandoque acidulæ. MOTVS moderatus nimiâ QVIETE præstantior, nam vitium capiunt, nî moveantur aquæ, ita & humores corporis nostri. In VIGILIIS & SOMNO pariter sit modus. In EXCRETIS natura suo quoque fungatur munere, & ANIMÆ PERTVRBATIONES, ob duplicem rationem nocivæ, quoad ejus fieri potest, vitentur; mœror enim & tristitia pravam digestionem efficiunt, ira verò & terror spiritus animales justò plus excitant atque confundunt, ac sic systemati nervoso haud parvam noxam inferunt.

§. XI.

Ex CHIRVRGICO demum fonte habemus Venæsectionem, Vesicatoria, ac Fonticulos, itemque scarificationem, quæ omnia ritè, & cum distinctione adhibita, multùm præstant; inprimis Venæsectio in nostra hac regione Epilepsiæ

cujus-

cujuſcunque præſentaneum remedium interdum eſt, id quod crebra experientia jam confirmavit.

§. XII.

Hiſce nunc L. B. pro inſtituti ratione atque ingenij mei tenuitate in tantum me ſatisfeciſſe, arbitror: Plura quidem, imò multa adhuc hinc inde addere potuiſſem, at brevitati ſtudens ſtudiò ea omiſi, in quibus aliquâ nondum experientiâ confirmatus ſum. Interim, ſi quæ ſunt, quæ forſan circa materiæ tractationem minus arrident, correctionem animo lubenti expecto, ſiquidem ut jatrices Tyro meliora edoceri, non erubeſco. Quod verò ſtylum in ſcribendo concernit, eum, nullus ambigo, minùs politum, minùſve cultum deprehenderis, quas enim verborum phalæras ab iſto expectes, qui diu jam à Romani ſermonis cultu abfuit, tempusque magis in Pharmacopœis, quàm in Muſæis tranſigere, coactus fuit? Nævos igitur plurimos, qui fortè irrepſerunt, literatâ humanitate eò facilius contegas, amanter rogo, quo ipſe lubens fateor, pleraque hæc ulteriore adhuc lima opus habere. Faxit DEVS T. O. M. ut hæc mea cœpta, & quæ impoſterum ſum aggreſſurus, cedant in Nominis ſui Gloriam, miſerorum ſalutem, ac denique mei, meorumque ſtudiorum ulteriorem commendationem.

